

Scripturam diuinitus inspiratam esse utilem non solum *περιστατικῶν*, 2.Tim.3.16.  
*περιταῦτων*, *περιταύποντων*, hoc est, ad doctrinam veritatis, ad institutio-  
nem pietatis, ad correctionem profanitatis, sed etiam *περιτέχνης* ad re- 2.Cor.10.4.  
dargutionem falsitatis? & illud: Arma militiae nostrae esse diuinitus vali-  
da ad subversionem munitionum, &c. Siquidem Mosis & Prophetarum  
aliorum scriptis, ipsa iam vetustate authenticis Ecclesia carebit: In nouis vero scri-  
pturis elenchos contra istos non inueniet?

Videmus igitur, quantum cladem, imo pestem Ecclesie machinentur Anabapti-  
sta, & alii id genus fanatici, Manicheorum soboles, Mosen etiam hoc praetextu  
ex Ecclesia exturbantes, quia habeat velamen, & quia sit seruus. Manet, inquit, 2.Cor.3.14  
usq; ad diem hodiernum in lectione Veteris Testamenti, non reiectum  
velamen illud, quod per Christum tollitur. Ergo Moses cum suo velamine  
per Christum sublatus est. At qui sensum Apostoli manifeste illi deprauant. Manet  
velamen: Sed quibus? Nobisne, qui reiecta facie gloriam Domini, ut in speculo,  
intuemur? Imo Iudeis manet, qui Mosis lectioni & literae tantum intenti, gloriosum  
vero Spiritus ministerium, hoc est, Euangelium asspernantes, voluntaria cætitate se  
ipso inuoluunt. Nec dicit Apostolus Mosen per Christum tolli: sed velamen Mo-  
sis tolli. Quomodo autem tollitur? An Mosis ex Ecclesia exturbatione? Nequa-  
quam, sed Iudaorum illuminatione & conuersione ad Christum. Postquam enim  
(inquit) cor eorum conueratum fuerit ad Dominum: tolletur velamen.  
At Moses erat seruus. Seruus vero non manet in domo: Filius manet in Iohann.8.34  
æternum, inquit Christus. Filio igitur exhibito, seruus est eiiciendus domo, nec  
Moses audiendus in Ecclesia presente Domino, quia hoc esset seruum hæro aquare  
aut anteferre, das hiesse die Leute von Christo zurück auff Mosen weisen/ dice-  
bant Anabaptistæ in colloquio Francotalensi Anno 1571.

Verum, quid obstat, quin si verum est, seruo non dari locum in domo, præsente  
Domino, non solum Mosen cum Prophetis aliis, sed omnes Apostolos, Doctores, pa-  
stores, aut quotquot sunt aut fuerunt serui Christi, ex Ecclesia uno cumulo eiiciamus,  
quin imo ipso etiam fanaticos Anabaptistas cum suis seductoribus, qui & ipsi ser-  
ui Christi esse volunt, domo exturbemus, ut nimis vacua seruis Domus Domini  
relinquatur? Est igitur horribilis furor, verba Domini sit deprauare, & in fidelissi-  
mum seruum (qualis ab ipso Domino Deo Moses prædicatur) malitiose illud contor- Hebr.3.5.  
quere, quod in seruum peccati seu nequam à Christo est dictum apud Iohannem:  
Qui committit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non ma-  
net in domo in æternum: sed Filius manet. Serui igitur nequam (cuiusmodi  
sunt fanatici) in domo Dei non manent. Serui autem frugi & fideles (qualis fuit Mo-  
ses in tota domo Dei) manet in domo: Nam super hos Dominus effundit Spiritum  
suum: his dispensat talenta sua ad negotiandum: hos conductit ad laborandum in vi-  
nea, ad operandum in messe. Neque vero ideo seruus non est audiendus, quia Domi-  
nus magis est audiendus: neque est Dominus seruum aquare aut anteferre, seruum de  
Domino testificantem audire, & in seruo Dominum venerari. Nam etiam Domi-